



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 74. Connestabilis capitali sententia damnatus, ejusque supplicium

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

Sæcul. XV. revocari jubet. Verum cursore tardius
A.C. 1475. adventante, Connestabilis jamjam Per-
 ronnam abstrahatur, ut Borbonii No-
 thi manibus committeretur, a quo etiam
 Parisios delatus, die secunda Decembris
 carceri, quem *Bastillam* vocant, manci-
 patus est.

§. LXXIV.

*Connestabilis capitali sententia dam-
 natus, ejusque supplicium.*

Continuo adversus eum capitis causa
 instruitur, judicii Præsidentem agente
 Franciæ Cancellario. Reus ad quæstio-
 nem vocatur, ac criminis sui evidentia
 adeo convincitur, ut illud negare mini-
 me auderet; ex sententia igitur Senatus
 Parisiensis ad capitis poenam damnatur,
 quam etiam die decima nona ejusdem
 Mensis Anno millesimo quadringentesimo
 septuagesimo quinto in Graviæ foro sub-
 iit, annos tum natus sexaginta tres.
 Adeo ferme omnibus Connestabilis ob
 perfidias, quas solido decennio exerce-
 bat, execrandus videbatur, ut nemo es-
 set, qui ejus morti lacrimis, ac luctu pa-
 rentaret. Ipse tamen inter luculenta pœ-
 nitentiæ, ac pietatis eximie signa sup-
 plicium tolerabat, si tamen de interno
 religionis cultu ab exterioribus judicium
 petere, ac speciosis raræ probitatis signis
 fidem

*Commin ibid
 Mezer. Sy-
 nops. Chro-
 nol. hist. Lu-
 dov. XI. in 12*

fidem adscribere fas est; persæpe enim Sæcul. XV.
A.C. 1475.
ambigua sunt ejusmodi externa virtutum
indicia. Ob hanc Connestabilis mortem
Ludovicus Rex, cum adeo formidabilis
inimici metu perfunctus esset, tripudia-
bat, simulque res Burgundiæ Ducis haud
parum auctæ erant, recuperato S. Quin-
tini oppido, aliisque urbibus, quas Gal-
liarum Rex eidem integra fide reddidit.
Eodem quoque liberalitatis argumento
Comitatum Ligniacensem in Ducatu Ba-
rensi situm Carolo de Trimollio Credonii
Toparchæ; Briennensem vero Comita-
tum Carolo de Ambacia Calvimontio
donavit. Uterque Comitatus olim Con-
nestabili parebat; sed præter hunc Lu-
dovicus plures alias ditiones potissimum
in Burgundiæ Ducis Statu sitas occu-
pabat.

§. LXXV.

*Fœdus inter Regem Franciæ &
Burgundiæ Ducem.*

Rex Franciæ septima ante Connestabilis
mortem hebdomada cum Burgundiæ
Duce fœdus pepigit, quo illi omnes suas
Provincias eadem libertate, iisdemque
immunitatibus ac privilegiis, quibus re-
gnante Carolo VII. fruebatur, possiden-
das spondit: Dux vero vicissim promisit,
quod omnibus omnino fœderibus, quæ
Mm 2 hucuf-